



U. q. 17. 3





4

Gratiâ  
DEI OPTIMI MAXIMI  
*ET*  
Inclutæ Facultatis Juridicæ  
Consensu  
*DE*  
**COMPENSA-**  
**TIONE,**  
Publicè disputabunt  
PRÆSES  
**NICOLAUS CREUSEL,**  
Phil. & J. U. D.  
*ET*  
**ADAM-CHRISTOPHORUS JACOBI,**  
Martisburgensis Jur. Cand.  
RESPONDENS  
*Ad diem 28. Augusti*  
In Collegio Juris Consultorum.

LIPSIAE,  
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,  
Anno M. DC. LX.

50.

J. J. Philippi



PERITAM I MITTO 184

PROLOGUS SCHOLIA ET PRAEFACTA

AD 1590

ANNA MOD



## Q. C. B. V.

### THESIS I.

**C**ompensationis verbum à cum & pensando est; hocc; à verbo pendo: Quippe ante usum signatae Monetae inventum æris infecti appendendi mos Romanis, uti olim Judæis Gen. 23. v. 16. cum simil. & hodie Chinensibus in usu erat eleg. Osvald. Hilliger ad Donell. lib. 6. cap. lit. B. qvo licet postea sublato pendere tamen idem fuit quod pecuniam solvere, ex Festo Georg. Obrecht. disp. de compens. lib. 4. quasi igitur debitor & creditor sibi lance appendant pecuniam utrinq; debitam & sic solvant compensatio efficit. Vide Ant. Augustin. lib. 2. emendat. cap. 8. pr. Hugon. Donellum. lib. 16. Comment. jur. civ. cap. 15. & Leonard. Copel. tr. de compensat. cap. 1. n. 2. Posset tamen & dici, hoc verbum à perso deductum esse, uti pensum Nonio interprete ex qvatum significat, sine inclinatione enim sunt qvæ penduntur utpote ponderibus justa & æqualia reperta eleg. Frideric. Taubman. in Comment. ad Plant. in Bacchid. act. 3. scen. 2. v. 10. quem & vide in Menachm. act. 3. scen. 2. v. 45. cum compensatio tum demum procedat si lance quasi adhibitæ murum debitum, æqvale, & ut ita loqvar, sine inclinatione reperiatur.

Th. 2. Compensatio in jure nostro, interdum idem est ac imputatio, l. 39. ff. de pignor. act. junct. l. 1. C. de distract. pignor. & hoc modo verbō compensandi in puncto legati vel donatio- nis, in legitimam imputandi, Dd. uti, scribit Jac. Menoch. tom. 3. conf. 206. n. 86. interdum qyarumcunq; rerum inter se compa- ratio & generalis quasi æqvilibritas, ut loqvitur P. Greg. Tholoss. lib. 21. Synt. n. cap. 22. n. 2. arg. 6. 2. Inst. de Societ. cum simil. Ast hæ & alia acceptiones non hujus loci: qvomodo hic sumatur vi- de infr. th. 4. Addantur ad hanc thes. Jac. Cujac. in pararir. C.  
A. 2  
h. r.

b.t. *Justus Steier*. in colleg. *Argentorat*. ff. b.t. ib. 2. *Job. Calvin*. in *lexic. fol. 461. Coppel. d. loc.*, *Dn. Heinric. Hahn* in *not. ad VV'esenb.* ff. b.t. n. 2.

Th. 3. Qyod nos compensationem vocamus, Nostri alibi compensationem l. 7. §. 1. ff. b.t. l. 8. §. 2. ff. de negot. geß. appellant, *Theophil. in § 30. Inst. de act. in vicem imputandi, qvæ contra debentur, rationem. vocat. Deductionis verò verbum l. 15. ibi: compensatione deductione ff. rem. rat. haber. item retentio- nis l. 4. ibi: ex compensatione rētinere. ff. b. t. pro Synonymis compensationis nostræ, non habemus; licet aliud velle videa- tur *Coppel. supr. d. loc.**

Th. 4. Describimus compensationem, debiti & crediti in- ter se, contributionem l. 1. ff. b.t. vel qvantitatum invicem de- bituram usq; ad concurrentem summan, imminutionem.

Th. 5. Unam nos compensationis speciem tantum putamus esse in jure fundatam, nec enim cum compensatione confun- denda in solutum datio, utut hæc interdum illius nomine im- propriè veniat l. 6. C. de rei vind. l. 6. C. de bared. insti. Unde pro vere dicta divisione compensationis non habemus, eam qvæ est in compensatione latè & strictè sumptam. ap. Mol- lenbecc. cent. 2. divis. 13. item vulgatam Dd. qva dispescunt compensationem in voluntariam & necessariam Bart. in l. fin. n. 1. C. de compens. Tyndar. tr. de compens. art. 6. n. 60. & 65. Sebast. Medices tr. de compens. part. 2. q. 17. n. 2. & seqq. Job. Schneider- vvin. in §. 30. Inst. de act. n. 55. item illam, qva compensatio in naturalem, civilem, vel utroq; jure competentem, distinguitur à P. Greg. Tholoff. d. lib. 21. cap. 22. 12. qvi in eo etiam errat qyod aliam compensationem eam facit, qvæ ipso jure fit, aliam, eam qvæ nunquam procedit nisi opponatur, qvam distinctionem rectè fictitiam appellat Georg. Franzkius lib. 1. var. resolut. resol. 13. num. 26.

Th. 6. Ex jure gentium descendit compensatio, qyod æ- quisimum sit, ut eò jure quis utatur in alium qvō, alium erga se uti desiderat. t. t. ff. quod quisq; jur. can. 1. dist. 1. ut non fiat per plura, qyod paucis expedire licet l. 10. C. de jud. qyod dolosè faciat, postulans sibi dari, qyod statim restiturus est cap. dolo. de

R. J.

R. J. in Ultō. l. 3. ff. b. ut lites non multiplicentur, sed quacunq; queratione dirimantur l. 31. §. i. ff. de reb. cred. Et quatenus haec omnia à Jure Civili approbata sunt & confirmata, ab eoque certa compensandi forma præscripta juris Civilis quoque est compensatio: Dissentient qui eò quod lites derinat compensationem juris civilis faciunt Matth. VVesenb. in parat. ff. b. t. num. 3. Meier. in colleg. Argentor. ff. b. 3. Coppel. tr. b. cap. 2. num. 5. Job. Harprecht ad §. 30. Inst. de att. num. 4. quos in hoc recte redarguit acutus Bachov. ad d. loc. VVesenb.

Th. 7. Mutua obligatio propinquæ causa est hujus beneficii l. 10. pr. ff. b. t. & inde quivis eò utitur, qui invicem creditor idemque debitor est l. 30. ff. de condit. indeb. l. 2. ibi: Unusquisque ff. b. unde & excommunicato haec competit arg. cap. 5. X. de except. & cap. 8. X. de dol. & contum. latè Tyndar. tr. b. art. 7. num. 24. Medices part. 2. q. 7. num. 4. Coppel. cap. 3. num. 3. Dissentit post alios Petr. Costalini in adversar. ad l. 4. ff. b. t. num. 1. & 2. item bannito arg. §. 12. Inst. de I. N. G. & C. l. 17. §. 1. ff. de pœn. junct. dictis th. 6. Medices part. 2. quest. 3. num. 4. Coppel. d. loc. n. 8. cum & cum excommunicatis banniti hodie comparati soleant. eleg. Andr. Gail. lib. 2. de P. P. t. 1. num. 26. rationes dubitandi, quo ad bannitum, sume ex Petr. Theodoric. in colleg. crim. disp. ult. th. 4. lit. A. Planè, in judicio ab ipsis bannito & excommunicato, exceptionem hanc non posse opponi, sed procuratore opus esse, vel cap. 7. X. de except. monstrat. Tutor porro & curator nomine pupilli vel minoris conventi, recte compensationem opponunt l. pen. ff. l. 11. C. b. t. Fidejussor, quoque tam principalis sui, quam proprium debitum, à credito pro quo agitur per compensationem deducit l. 5. ff. b. t. ratio est in l. 68. ff. de fidejuss. l. 11. C. de except. junct. l. 9. & 19. ff. de except. Vide Magnif. Dn. Bened. Carpz. lib. 2. respons. Elector. 103. Coppel. tr. b. num. 26. & seqq. Correi quoque qui invicem fidejussérunt, vel socii sunt, compensant si alterutri eorum quid debeatur, l. 10. ff. de duob. reis. alias quippe ex duabus reis promittendi, alter compensare nequit, quod à stipulatore correto debetur d. l. 10. ff. de duob. reis. nihil enim videtur objere quod ad suam obligationem minuendam faciat, nec al-

ter cuius creditum est potest dici cōventus, qvia non istius sed hujus obligatio in item deducta est. Joh. Gæddens tr. de contr. stipul. cap. 12. concl. 9. n. 82.

Th. 8. Competit porro contra omnes hæc exceptio, qvi reis conventis aliquid invicem debent, ita pupillus hæc submovetur si à tutori opponatur l. 1. s. 4. ff. de contrar. tutel. act. l. 3. C. eodem. Ita hæc uxori contra maritum competit arg. l. 7. ff. de act. rer. amotar. Math. Cuno tr. de past. cap. 6. num. 8. recte item eā utitur pupillaris debitor, à tutori cōventus, licet debitum pupilli ex ea causa qvæ ad agentis tutoris administrationem non pertinet sed forsitan ad contutoris, proveniat l. 36. ff. de administ. tutor. ubi & ratio. Patri vero ob debitum filii emancipati, prorsus non arg. §. 3. Inst. de hered. qual. & diff. l. 1. C. ne pater profil. Sui, autem, si citra voluntatem ipsius contraxerit vel pecunia in rem patris non versa probetur, peculiatus juxta. §. preterea Inst. qvod eum eo qvi in alien. potest. objici potest, extentè Joh. Zanger. tr. de except. part. 3. cap. 8. n. 60. & seqq. adde Coppel. b. cap. 4. num. 6. & seqq.

Th. 9. Sed num hæc exceptio cessionario opponi possit, uti poterat objici cedenti, qvaritur? Si debitum utrinque natum est ante cessionem, id omnino absqve distinctione inter causam onerosam & lucrative, ut & exercitii actionis utilis & directæ, pleriq; adfirmandū putant: tūm qvod cessionarius successit in locū cedentis & proinde meliori jure qvā cedens uti nō possit l. 160. ff. de R. J. tum qvod hæc exceptio rei cohæreat arg. l. 5. ff. b. t. junct. l. 7. §. 1. ff. de except. quales exceptiones in successorem etiam singularem transeunt l. 4. §. 33. ff. de dol. mal. except. l. 16. §. 1. ff. pro socio. cum simil. & in specie de nostra exceptione probat Joh. Petr. Ferrar. in prax. aur. tit. 4. num. 16. tūm qvod compensatio ipso jure minuat obligationem l. fin. C. b. t. & ad illud ipsum tempus ex quo utrinque deberi cœptum retrotrahatur l. 4. C. b. l. 7. C. de solut. eleg. Zanger. Supr. d. tr. & loc. num. 128. & seqq. tūm qvod in contrario casu debitori maximè iniqva inferri posset conditio, qvid enim si debitum qvod cedens ipsi debebat esset solum naturale, qvod in compensationem haud dubiè venit via exceptio-

ptionis l. 6. ff. b. sed pro qvo nulla prodita est & competit. Eio l. 10. ff. de oblig. & act. annon facto suo cedens, hoc ius qvæsum debitori, citra omnem hujus culpam auferre posset, contra cap. 52. X. de elec. nec enim agendi antea erat, nec nunc excipiendi ipsi competitura potestas: tūm per l. cuncto C. de hered. vel act. vend. & per l. 4. C. de novat. tūm qvod aliud sit reconventio de qva in l. 33. §. fin. ff. de procurat. aliud compensatio: & sic sentiunt. Ant. Thessaur. decis. 221. ubi Seriatui Pedemontano ita placuisse refert. Math. de Affiliat. decis. 163. num. 5. ubi dicit hanc opinionem omnes tenuisse dominos, in consilio Neapolitano. Guido Papa decis. 567. ubi ita in Curia Gratianopolitana judicatum fuisse refert. Alexand. Trentacingvius lib. 3. var. resol. resol. 1. num. 5. & 6. Petr. Costal. in advers. ad l. 4. ff. h. t. n. 4. Diodorus Tuldenus ad rubr. C. h. t. num. 1. & 6. Tyndar. in tr. h. art. 7. num. 4. Sebas. Medices tr. h. p. 1. q. 43. num. 4. Coppel. tr. h. cap. 4. n. 10. & seq. latè Dn. Georg. Frantzkins lib. 1. var. resol. resol. 13. qui nec restrictionem supra dictam de debito ante cessionem nato admittit, & Illustrissimo euidam Principi, ita à se responsum fuisse, scribit; Dn. Heim. Hahn. ad VVeseb. h. in fin. ubi sèpius à Jctis Helmstadiensibus ita pronuntiatum fuisse refert; Albert. Galeottus in Magar. sua. cap. 4. num. 25. Hieronym. Treutler. vol. 1. disp. 25. th. 10. lit. D. & ibi Helfr. Ulric. Hunnius. Bernhard. Schottan. in exam. jurid. ff. h. t. q. 5. qui tamen in cessionario ex necessaria causa facto, limitat. Adde Hieronym. Marilian. decis. Parmensi. 31. per tot. & latissimè Francisc. à Salgado in labyrinth. cred. part. 6. cap. 3. §. unic. num. 24. & seq. Sed negativam defendunt Bart. ad l. 4. §. sicut ff. de dol. except. Francisc. Balduin. in comment. ad §. 30. Inst. de act. num. 1. Ant. Faber. in Cod. lib. 4. tit. 23. def. 3. num. 3. & alii tūm qvod procurator in rem suam non tenetur defendere dominum l. 33. §. ult. ff. de procurat. tūm qvod cessionarius cum debitore nullum negotium gesserit, necei ex qvocunq; capite obligatus sit, E. per l. 1. ff. b. t. tūm qvod eo ipso dum disceptatur de jure debiti inter cessionarium & debitorem ad causam illiqvidi trahatur, objectum ab excipiente debitum, E. per l. fin. C. h. t. & posteriorem hanc cè sen.

sententiam arrisisse Dnn. Scabinis Lipsiensibus refert *Magnif.*  
*Dn. Carpz. part. 3. decis. 155. num. 18. & seqq.* ubi & pro hac al-  
legata s ferē rationes latius dedit. Nos qvid dubiosā hāc  
in re statuendum sit, hāremus, & igitur qvānam ex his juri no-  
stro propior, in ipso conflictu disputationis videbimus. Qvi-  
bus porro aliās possit objici exceptio hāc vide ap. *Jac. Cujac.*  
*lib. 24. obs. 37. Sebāst. Aledices part. 2. tr. b. 1. qual. 7. usq; ad 15.*  
*Coppel. tr. b. cap. 4.*

**TH. IO.** Compensantur autem inter se, debitum & credi-  
tum, uti hāc verba in l. 11. ff. de *V. S.* ubi *Job. Brachaeus*. sumun-  
tur. Et cum compensatio in star & pro solutione sit, solvi au-  
tem non poscit creditorī invito aliud pro alio l. 99. ff. de *solut.*  
*cum simil.* seqvens est, pensationem nostram solum in iis re-  
bus locum habere invicem debitis, qvæ fungibiles sunt: Fun-  
ctionem vero hancce non accipimus uti in mutuo, sed intelli-  
gimus, talem conformitatem rerum, qvæ efficit ut hāc re solu-  
tā, non videatur aliud pro alio solutum egregiè *Tyndar. tr. b.*  
*art. 3. num. 6. Jul. Pacius ad l. 3. constat. n. 12. C. b. 1.*

**TH. II.** Functionem hanc recipiunt, quantitates l. 2. §. 1.  
ff. de *reb. cred.* in eis enim non qualitatis sed valoris ratio ha-  
betur l. 65 ff. de *V. O. Francif. Hottoman. illustr. qual. 17* & pos-  
sunt hāc compensari cum quantitatibus ejusdem generis, non  
diversi, e. g. metallum cum metallo, non metallum cum fru-  
mento l. 4. C. b. l. 11. l. 15. ff. eodem. & sic non opus est tit quanti-  
tatis verbum, solum ad pecuniam restringamus, qvod fecit  
post *Zas. Schneidevrin. in §. 30. num. 32. Inst. de art.* Pecuniam  
verò, cum pecunia, sic ut quantitatem compensare solemus,  
etsi materia discrepet, cum ex eā non censeatur, veluti com-  
pensari potest moneta argentea cum aurea l. 3. ff. de *reb. cred.*  
vide tamen. *Ant. Fabr. tr. de var. debit. nummar. solut. cap. 4.*  
*& seqq.* imò & nummi cum argento vel auro infecto, compen-  
sari possunt l. 1. §. fin. l. 9. l. 35. ff. de *aur. & argent. legat.* Si verò  
ex una parte pecunia ut corpus debetur, ex altera ut quanti-  
tas, pensatio non procedit l. 51. ff. de *legat.* 2. ratio est in l. 16. C.  
de *solut.* cum simil. Vide omnino *Tyndar. tr. b. art. 3. num. 10.*  
Dissentit, *Osvald. Hilliger. ad Donell. lib. 16. cap. 15. lit. Y. ex*

qvo

qvo & infertur, qvod is qui aureos debet in specie, non val-  
eat objicere compensationem ejus qvod sibi debetur, in pec-  
cunia numerata seu currente *Magnis. Dn. Carpz. part. 1.*  
*conf. 8. def. 11.* Sic nec procedit, si species cum quantitate  
sint alternative in obligatione, antequam creditor eligat  
*l. 22. ff. b. t.* cum ante declarationem hoc debitum incertum  
sit. *l. 76. ff. de V. O.* qva ratione non valet, si debitor quantitate,  
cui opponitur, posse se liberare solutione speciei,  
qvod in noxalibus debitibus communiter fieri afolet *l. 6. ff. de*  
*re jud. l. 1. ff. d. quadrup. pauper. feciss. add. Job. Bernard. Diaz.*  
*in reg. jur. reg. 97.* Generis autem ejusdem, cum genere eodem,  
cum consideramus, terminos obligationis generalis  
adhuc eatenus utrinque æquivalis, quatenus hinc inde me-  
diaæ qualitatis species solvi potest. *l. 37. l. 110. ubi fac. Cujac.*  
*tr. ad African. 8. p. m. 430. ff. de legat. i. compensationem fe-*  
*ri posse putamus eleg. Reinhard. Bachov. ad Tr. disp. 25. vol. 1.*  
*thes. 8. lit. C. Cyn. in l. ult. C. b. t. Gotofred. in l. 78. ff. de hered.*  
*instit. lit. M. reprobata contrariâ fasonis in §. 30. Inst. de act.*  
*num. 90. Treutler. loc. alleg. Anton. Perez. in Cod. b. t. num. 10.*  
sententiâ, ut & Georg. Obrecht. disp. h. thes. 124. Coppel. tr. h.  
cap. 8. limitatione, quasi illud certis, solum modis procedat:  
Et restrictione Schneidervin. in §. 30. Inst. de act. quasi no-  
stra opinio, de æquitate, non autem de jure stricto, vera es-  
set.

**TH. 12.** Species autem seu corpus, cum specie seu cor-  
pore, compensari nequit, *l. 18. pr. ff. de pignor. act. ratio est in*  
*l. 3. ff. de in item jurand. l. 16. C. de jur. delib. l. 2. §. 1. ff. de reb.*  
*cred. ut nec species cum quantitate & contra arg. dd. II. latè*  
*Dom. Arumatus exerc. ad Inst. 16. thes. 10. qvod autem Franc.*  
*Duarenus. Job. Harprecht in §. 30. Inst. de act. n. 9. & qvadam-*  
*modo Treutler. supr. alleg. disp. th. 8. lit. a. contrarium sente-*  
*rint, in eo rectè à Coppelso tr. h. cap. 5. num. 11. Hunnio ad Tr.*  
*d. loc. & aliis refutantur. Species tamen, si debeantur invi-*  
*cem æstimata, vel si peremptarum petatur æstimatione, com-*  
*pensatio locum habere potest, Tjndar. art. 3. tr. h. n. 5. Or-*

zolph. Foman. disp. ad Inf. 30. tb. 10. lit. F. Dissent. qvoad prius Schottanus in exam. jurid. ff. b. q. 6. Et hoc sensu, in actionibus realibus compensatio inducta, cum hoc modo, licet non ab initio, tamen ipso exitu & ratione finis, quantitas etiam videatur petita eleg. Job. Sichard. in l. fin. C. b. t. n. fin.

Th. 13. Compensationem porro fieri non posse videmus in debito conditionali §. 4. & 6. Inf. de V. O. l. 213. pr. ff. ibid. item eō qvod in diem debetur conventioni adjectum l. 7. ff. b. t. ratio est in d. §. 2. Inf. de V. O. eleg. Coppel. cap. 8. num. 38. & seq. vel in debito illiquid ad liquidum l. fin. C. b. t. liquidum autem debitum est, de quo appareat, quid, qualem & quantum sit l. 75. ff. de V. O. l. 6. ff. de reb. cred. Vide omnino Donell. lib. 16. cap. 15. & ibi Hillig. lit. Co. adde ad nostrum forum Conf. Elect. 8. part. 1. & ibi notata Dan. Mollerii Matth. Berlichii, & Dn. Carpzov. item alieno l. 9. C. b. t. contra bene procedit compensatio, in debito naturali l. 6. ff. b. t. ratio est in l. 36. ff. de administr. tutor. junct. l. 7. §. 4. ff. de paci. eleg. Magnif. Dn. Carpzov. ad conf. 8. part. 1. def. 3. et si ab altera parte esset juratum, per ration. inf. tb. 14. Dissentit Arnold Reijer in thesaur. jur. tom. 1. verb. compensatio n. 20. Vide tamen Osvald Hillig. ad Donell. lib. 12. cap. 2. lit. P. non autem civili tantum per l. 14. ff. b. t. adde Donell. lib. 12. cap. 3. imo & regulariter locum habet in debito fiscali & reipub. i. e. si fiscus vel respub. & privatus sibi iuvicem quid debeant l. fin. ff. l. 3. C. b. t. ratio est in l. item veniunt §. in privatorum ff. de petit. hered. modo debitor contra quem agitur, procuratoris fisci agentis, stationi subjectus sit l. r. C. b. t. eleg. Joach. Stephani de jurisd. lib. 3. cap. 8. n. 25. ubi & quid statio explicat ne indiscriminatim concessa compensatione officiorum orriatur confusio Alex. Moneta tr. de decim. cap. 9. n. 173. Vide Matth. de Afflit. decis. Neapol. 192. ubi eleg. restrictionem habet & ad eum ibid. Caesar. Ursulum n. 1. & intra duos menses doceat compensationem l. 46. §. 4. ff. de jur. fisc. qvod posterius per l. fin. C. b. t. correctum esse, non recte censet Coppel. tr. b. cap. 4. n. 19. excepta autem in his casibus quædam causæ

causæ in l. 3. C. b. t. d. l. 46. ff. de jur. fisc. quas benè explicat  
Donell. lib. 16. cap. 15. Dn. Hahn. in not. ad VVeserb. ff. b. t. &  
ad exceptas hasce, referendæ etiam contributiones Turcicæ  
eleg. Caspar Klokinst. de contribut. cap. 18. n. 120. item annona-  
riæ cause d. l. 46. §. 5 ff. de jur. fisc. Nec obstat. l. 17. ff. b. t. in  
eo enim casu ædilis ex causa arctioris annonæ præbitæ, est  
debitor privatorum qvibus aliquid subduxit, non fisci, pro  
eo igitur, qvod illi qvibus arctius præbuit ipsi debent, com-  
pensat, retinendo partem eam qvam non præbui, & ita in-  
geniosè hanc difficultatem exponit Marc. Lyclama lib. 3. mem-  
bran. eclog. 13. p. m. 531. aliter exponunt hunc intricatum text.  
Jac. Cujac. lib. 2. obs. 23. & lib. 14. obs. 13. Petr. Buhus ad l. 17. ff.  
b. Jul. Pacius cent. 4. ἐναρτιαφ. q. 74. qvi inter ædilem & Cura-  
torem rei frumentariae vel annonariæ distingunt. Aliter Fr.  
Duarenus lib. 1. disp. anniversar. cap. 26. Hugo Donellus lib. 16.  
cap. 15. qvi pro ædilitatis, edulitatis legunt. Adde Coppel. cap.  
4. tr. b. n. 23. & seq. & qvos refert Hillig. add. loc. Donell. Plane  
ex dictis apparet iniquum censem egisse Bernhard. Autu-  
mnum in censor. sua Gallic. adjus Civil. Rom. in l. 17. ff. b. t. p. m.  
252. dict. l. 17. per l. 3. C. b. sublatam & sic contrarietatem in-  
ter hosce text⁹ esse censens. In decimis etiam locum non in-  
venire statuit Hieronym. Gigas tr. de crim. leſ. Majest. q. 26. n.  
18. per cap. 7. X. de prescript. cui tamen contradicit Alex. Mo-  
netar. de decimis. cap. 9. n. 172. Imò extendit hanc prohibi-  
tionem, cum limitatione tamen qvadam Petr. Rebuff. de pri-  
vileg. scholar. privil. 168. ad eam pecuniam, qvam forte mer-  
cator studioſo reddendam, suscepit per l. 3. verb. alimentorum  
C. b.

Th. 14. Sed dubitatur num etiam contra debitum jura-  
tum hac exceptio posse opponi? qvod putamus: tūm qvia  
omnis liberatio ab obligatione, qualis est compensatio l. 18.  
ff. b. est solutio l. 4. §. soluisse ff. de re judic. tūm qvod ipsō ju-  
re fiat crediti & debiti compensatio l. fin. C. b. tūm qvod do-  
losè ille faciat qvi exigit qvod statim restituturus est l. 8.  
ff. de dol. mal. except. E. per cap. 26. X. de jurejur. tum qvod sub  
B 2 jura-

jurata etiam generali pollicitatione non veniat illicitum  
cap. 4. X. de homicid. E. per d. 1.8. ff. de dol. mal. except. tūm  
qvod juramentum, etiam possit impleri, per actum factum  
text. notab. in cap. ex parte 12. X. de cler. non resident. tūm qvod  
juramentum accedat actui super qvo interponitur cap. quem  
admodum X. de jurejur. ast debitum sine juramento, ex con-  
cessione omnium poterat compensari E. tūm per l. 2. ibi u-  
nus qvisq; ff. Nec obstat cap. ad nostram 7. X. de jurejur. Non  
enim ratio decidendi in isto capite, est juramenti religio &  
efficacia, sed inæqualitas fructuum, deductis expensis acce-  
ptorum, cum ipsa sorte d. cap. ibi, non dum sortem. imò &  
illiqvidum in casu isto intervenisse videtur, nec de quantitate  
accepta summae, nec de impensis, satis rem fuisse expeditam;  
per verb, ultra sortem recepisse constiterit. Et ita recte Bart.  
ad l. 15. n. 8. ff. rem rat. haber. Martin. Uranius in lectur ad cap.  
7. X. de jurejur. n. 9. & seqq. Jerem. Sezer. de juram. lib. 1. cap. 25.  
n. 101. & seqq. Dan. Möller. ad constitut. Elektor. p. 1. const. 8. n. 1;  
Tremler. d. disf. 25. th. 11. ibi, late Hunnius Leonard. Coppel. tr.  
h. cap. 4. n. 26. Dissentient Canonistæ Comim. ad illud. cap.  
7. X. de jurejur. Alex. conf. 91. vol. 2. Matth. de Afflict. decis. 381;  
ibi q; Ceser Ursill. Gozadinus Conf. 69. Hieron. Marilian. ad l.  
quoties n. 211. C. de R. V. Ant. Massa Gales. ad form. Cameral. ob-  
lig. q. 2. n. 6. Borgnini. Cavalcan. decis 35. n. 14. lib. 1. & decis. 28;  
n. 43. lib. 2. Seraphin. de Seraphinis tr. de privileg. juram. privi-  
leg. 74. n. 36. & seqq. ubi septendecim rationes pro hac alle-  
gat & postea tredecim modis suam opinionem limitat: & in  
universum quadraginta Dd. pro hac sententia, quam & ipse  
seqvitur, allegat Ernest. Corbman. respons. 18. n. 377. & seqq. Nec  
faciendum cum Reinhard. Bachovio ad Tr. d. lot. qui nostram  
sententiam, in eo casu, quo post juramentum, juranti deberi  
coepit, non admittit, quo casu rem exploratam sibi videri, di-  
cit, Ant. Merenda. lib. 1. controvers. jur. cap. 4. n. 3. & qvomo-  
do in judiciis, se vidisse, observari, scribit Tuldenus in rabr. C.  
h. t. num. 2. tūm qvia & juramentum in se continet vulgatam  
clausulam rebus sic stantibus, & sic postquam debitum ali-  
quod

qvod supervenit, in aliamq; causam deducta est obligatio cui adiectum juramentum, operari ulterius qyppiam, & plus quam principale nequit, tūm q via & sic sit cōcursus, & m̄tuā ipso jure solutio l. 4. ff. b. tūm per rationes supr. dictas. Nec probanda restrictio *Vincent*. *Hondedai* qui lib. 1. consult. 18. num. 40. putat, compensationem non locum habere, si juravit debitor solvere in pecunia numerata: Eadem enim rationes decidendi qvæ supr. adductæ & hic militant, & nudæ quantitatis ejusmodi jurans debitor est, quale debitū haud dubiè compensabile. Unde nec audiendus post Nattam *Rutger*. *Rulant*. tr. de *Commissar*. part. 4. lib. 9. cap. 6. n. 31. qui vult, debitorum, hanc non posse obijcere compensationem; si verbo debursare, in obligatione juratā, usus fuisset. Alias aliorū restrictiones expendit *Coppel*. tr. b. alleg. loc. *Adde Merendam* supr. d. loc. qui qvæstionem hanc in facto magis quam jure constitere autumat.

TH. 15. Sed & delictum cum delicto, compensari potest l. 39. ff. solut. matrim. modo pecuniariè agatur l. 10. §. 2. ff. b. t. qvo sensu inter socios mutua negligētia compensari dicitur d. l. 10. qvem text. eleg. illustratum habes apud *Hectorem Felicium* tr. de *Societ*. cap. 37. n. 12. & seqq. cum hæc compensatio, ad actiones priyatās, non ad publica judicia, pertineat. l. 5. ff. ad publ. iud. unde & in mutuo adulterio, e. g. si maritus cum ancilla, & uxor cū seruo, rem habuissent, qvoad pœnam ordinariam evitandam, compensationem allegari non posse, rectè sentit *And. Schefferus* part. 3. q. 2. fac. l. 2. §. 4. & 5. ff. ad l. 7. *Jul. adulteri*.

TH. 16. Actionibus porro, objicitur compensatio, non solum personalibus l. fin. pr. C. b. t. iisq; ve bonæ fidei §. 30. Inst. de act. & diverso modo, ac olim, stricti juris, d. §. 30. & l. fin. b. Sed & hodie, realib;: qvod tamen sic accipiendum est ut procedat, si forte re diminutâ, corruptâ, amissâ, vel dolo detentâ l. 1. §. 15. ff. deposit. l. 68. ff. de rei vind. ad estimationem veram, vel ejus qvod interest, & ita ad quantitatē, devenientium sit l. 7. §. 1. ff. solut. mitrim. l. 6. C. b. t. vide supr. lib. 12. in fin.

Nec interest actione universalis, qvis conveniatur an particu-  
lari, qvod in legatis & fideicommissis appetat l. 5. C. b. r.

TH. 17. A generali autem assertione, qvod in omnibus a-  
ctionibus realibus & personalibus compensatio procedat,  
excipitur depositi actio, §. 30. Inst. de act. l. fin. C. h. r. l. pen. C.  
deposit. cap. fin. §. sane X. deposit. qvod forsitan ob exuberantem  
fidem, qvæ in deposito versatur, ex qvæ depositarius rem illi-  
cò reddere debet qvæ penes ipsum deposita, receptum l. 1. §.  
22. ff. deposit. l. 11. C. eodem, idq; sic verum est sive ab initio qvan-  
titas fuisset deposita, dissentit. Author. decision. Rota Genuens.  
de Mercatur. decis. 34. n. 9. sive redeposita perempta, de ejus  
estimatione qværatur, in contrariis enim casibus singulare  
qvippam hæc actio non haberet. Dn. Hahn. ad VVesemb. b. n.  
10. Dissentit qvoad posterius Reinhard. Bachov. disp. 6. de  
action. th. 23. qvod & ante Justinianum sic constitutum fuit  
Paul. 2. Sent. 12. §. 4. Jac. Cajac. 8. obs. 16. & Justinianus, ne ge-  
neralitas verborum sua Sanctionis, qvibus omnibus actioni-  
bus realibus & personalibus accommodat compensationem,  
aliquæ offederet vel deciperet, causam depositi etiā juxta suā  
Sanctionem excipiendam esse expresse disponere debuit, e-  
leg. ut omnia Hillag. ad Donell. lib. 16. cap. 15. lit. I. & inde  
nec errorem manifestum in d. §. 30. Inst. de act. & l. fin. C. h. r.  
Tribonianus commisit, qvod erroneè scripsit Jac. Ravard.  
lib. 1. de ambiguitat. jur. cap. 11. nec Pauli allegatus locus, à quo-  
dam corruptus est ut putat Hubert. Giphanius disp. ad Inst. 44.  
th. 26. n. 38. Planè ob impensas in depositum factas retentio-  
nem dari depositario, tūm per l. 20. ff. de minor, tūm per l. 59. ff.  
de furtis junct. l. 20. in fin. & ibi trad. Gottofred. ff. de acquir. poss.  
putat Valentin. Riemer. decad. 9. illustr. qq. q. 9. Sebāst. Medicus  
tr. b. q. 19. part 1. n. 5.

TH. 18. Spolii qvoq; causa compensationem non admit-  
tit l. fin. §. fin. C. h. r. non tam qvod compensatio sit instar a-  
ctionis uti Lanfranc. in repet. rubr. de causs. possess. & propr. n.  
25. putat, sed qvod esset res mali exempli, si qvis alteri rem  
suam eriperet, & postea eam repetenti, compensationem  
obji-

objiceret, Coppel. tr. h. cap. 7. n. 16. Qued de spolio dictum trahi etiam solet ad attentata Cas. Achilles decif. 26. Diodor. Tuden. in comment. Ch. t. n. 5.

Tb. 19. Non autem excipimus à supra dicta regula, actionem commodati per vulg. l. 18. s. fin. ff. commod. Nec obstat l. fin. C. commodat. Ibidem enim de restitutione rei commoda-  
tē quæstio est, quā prætextu debiti retinere nō licet tūm quia speciei ad speciem nulla compensatio, tūm quia commoda-  
tum sic actori propriè non debetur, sed est in ipsius dominio, Tyndar. tr. h. art. 5. n. 41. Medices tr. h. p. 1. q. 18. n. 2. Job. Mercer.  
lib. 1. opinion. cap. 14. Jul. Pacius cent. 2. evanç. tucq. q. 44. Zenger.  
de except. part 3. cap. 8. n. 20. Dn. Hahn. ad VVesenb. b. n. 10. Ali-  
ter hanc rem exponit Grilhelmus Fornerius lib. 2. Selection. c. 12.  
objici nempe soluimmodo posse retentionem, in commodato  
ratione impensarum, ita ipsum' commodatum quod pertinet  
factarum non autem prætextu alterius debiti. Sed ut videtur  
incongrue. Alter Jac. Cnjae. lib. 9. obs. 37. qui pro commoda-  
tum in d. l. ult. commendatum legit & illam legem ad tit. de-  
positi pertinere putat, quem sequitur Peri. Busius ad l. ult. §.  
ult. n. 5. ff. commodat. Sed omnium exemplarium fidem resiste-  
re huic conciliacioni dicit Fornerius d. loc. Alter Treutler. vol.  
1. diss. 26. th. 1. lit. B. nempe tractari in d. l. ult. C. commod. de  
debito illiquidio, per verb. prætextu; quod sibi non improba-  
bile videt, ait Valent. Riemer decad 9. illustr. qq. q. 8. in fin. per  
l. 1. C. deposit. l. 2. de extraord. crim. Alter Bachov. adjam citat.  
loc. Treutler. qui dicit constitutionem in d. l. ult. esse priorum  
Inpp. quo tempore, utiq; nulla commodato objici poterat  
competitio, sed resistit Bachovio, quod Justinianus omnia  
sua fecit, & quod Compositores nostros, oscitantie inexcusa-  
bilis arguere sic necesse. Alter Coppel. tr. h. c. 7. n. 26. qui inter  
retentionem & compensationem distingvit, quomodo ferè  
& Matth. Berlich. part. 2. concl. 32. n. 15. quam sententiam ta-  
men improbat Caspar. Schifferdegher. ad Fabr. 1. tr. 1. q. 3. & Rie-  
mer. d. loc. Dissentient à thesi per d. text. l. ult. Jacob. Cramen.  
in discept. ad Inst. disp. 21. th. 10. Job. Harpr. ad §. 30. Inst. de act. m.

31. ubi



¶. ubi & ita iure Würtenbergico cautum esse refert. Planè non rectè statuit Christian. Krembergh. in comment. ad d. §. 30. Inst. de act. n. 41. & seqq. qui late disputat, qvod in commodato, si restitutio ejus in specie peratur, non locus sit compensatio ni, aliud si ad interesse vel estimationem agatur autem mans, cum de priori nemo dubitet, sed saltem de posteriori, prius enim non eò non admisum, qvod singulare quid habeat a ctio commodati, præ aliis, sed qvia speciei ad speciem, vel ad quantitatem, nulla compensatio ut supr.

TH. 20. Ut nec repetitionem dotis. fac. l. 15. §. 1. l. 1. 66. §. 1. ff. solut. matrim. cum vulgatum sit l. unic. §. taceat C. dere in xor. act. de retentione & qvidem specierum loqui: vide Ulpian. tit. 6. §. 6. Sebæst. Medices tr. s. p. 1. q. 17. latissimè Cardinal. Tuschum tom. 1. practic. concl. concl. 490. n. 5. & mult. seqq.

TH. 21. Fit autem hodie compensatio in omnibus actionibus, ex eò tempore, qvo primum objici potuit, ipso jure, l. ult. C. h. t. Olim siquidem in bona fidei judiciis solum, ipso jure fiebat compensatio §. 39. Inst. de act. instricti juris autem, oppositâ doli mali exceptione, induxit eam putatur M. Antonius d. §. 30. sed mox prudentibus placuit, eam & in stricti juris judiciis, ipso jure admittendam l. 21. ff. h. t. qvod & Alexander Severus l. 11. ff. l. 4. l. 6. C. h. & demum Justin. noster in l. fin. C. h. comprobarunt; Ratio autem cur in stricti juris judiciis, olim admissa hanc fuerit, ad diversitates formularū, & mutuas petitiones coram eodem judice expediendas, l. 11. §. 1. ff. de jurisd. cum simil. qvæ cumulat Gottofred. in l. 2. C. rer. amotar. vulgo refertur: vide Aruncum exerc. ad Inst. 16, th. 7. Cujac. lib. 3. obs. 16. Coppel. c. 7. n. 4. tr. b. adde omnino Osvald. Hilligerum in discept. de bona fidei judiciis. qvæ ratione vero ex dictis inferatur compensationē, usq; ad D. Marcum stricti juris fuisse ab eoq; bona fidei factā, ut infert Georg. Barfchamp. in radic. clausul. cap. 9. n. 51. ego sanè non capio. Justinianus ergo qvoad hanc rem nihil novi induxit, sed solum primum lege sanxit, ut & in realibus actionibus, compensationi esset locus Donell. lib. 16. c. 15. Cujac. d. l. & in recitat. ad Cod. h. t. ut & para-

paratit. C. ibid. Ipso autem jure fieri, hic idem esse putamus, ac  
vi & potestate legis ipsius, citra factum hominis, à primo tem-  
pore hinc inde concurrentium summarum utrinq; debitarum,  
liberationem contingere & obligationē perimi, vide Bachov.  
de action. disp. 6. th. 23. effectus hujus rei & differentia inter jus  
vetus & antiquum est, quod hodiè dum ipso jure fit compen-  
satio, pars ipsa obligationis, statim videatur perempta, ita ut  
quicunque petit, plus petere videatur *jux. § 33.* Inst. de act. quod  
non est si per doli exceptionem compensationem inducere  
necessum, efficax enim & justa tunc quidem de jure Civilis a-  
ctio, sed per exceptionem demum inutilis redditur *jux. § 1.*  
Inst. de except. & ita non differt jus novum à veteri, quod anti-  
qvitus solenniter opponenda erat doli exceptio, hodie vero  
sufficiat, quibuscumque verbis, compensationem judici signifi-  
care, uti putat *Gonzal. Svarer. de Pac. in prax. secul. & Eccles.*  
tom. 3. cap. 7. §. 12. n. 31. Ex dictis simul intelligitur, verba ipsū  
jus, in hac materia, nec juri Prætorio, ut alias in l. 1. §. ult. ff. de  
superfic. vide *Hilleg. lib. 1. ad Donell. cap. 8. lit. 1.* nec judicio, op-  
poni *Coppel. tr. b. supr. d. loc.* Porro, cum ipso jure sine facto  
hominis, dicimus fieri compensationem, intelligere id ita de-  
bemus, ut verum sit, quo ad ipsius inductionem, neutiquam ve-  
ro, ejus executionem, ut enim effectum suum conseqvatur, o-  
mnino in judicio alleganda est, cum & arbitrarium sit, eā uti  
l. 2. ibi paratus est compensare l. 5. ibi velit compensare, l. 10.  
§. 2. l. 13. l. pen. ff. b. nec enim de ea divinare potuit judex, arg.  
7. C. ad SCt. Vell. cleg. Bachov. in not. ad *V Vesenb. ff. b. fac. l. 19. ff.*  
qua in fraud. cred. l. 26. ff. ad l. Falcid. add. Guid. Panciroll. conf.  
131. n. 35. & vide hac de re *Arumanum ad ff. exerc. 10. th. 8.* ubi ius  
quæ hic objici solent, satisfacit.

TH. 22. Allegari poterit hæc exceptio, coram omni judice,  
qui causa cognitionem habet, arg. l. 8. C. b. quod & verum de  
delegato, arg. l. 1. §. 3. ff. de offic. quis cui mand. juris. ad de cap. pru-  
dentiam §. sexta X. de offic. deleg. quod & in arbitrio, procedere  
putamus, text. cfl. in l. 52. §. pen. ff. famili. hercif. Copper. b. c. 9. n. 2.

TH. 23. Et opponi, in quavis litis parte, tūm ante, quam post,  
litis contestationem, l. 8. ff. b. t. imò & in ipsa executione rei ju-  
dicata, l. 2. C. b. Moller. ad Conf. Elect. 8. p. 1. num. 8. etiam

in secunda instantia; Guido Papa decis. Gratianopol. 567. n. 2.

TH. 24. Intra quod tempus autem, probanda sit haec exceptio, si queratur, tutius est respondere, hoc judici debere esse arbitriatum, arg. l. ul. ibi posse judici C. b. l. 105. ff. de solut. Jac. Menoch. de arbitr. jud. qq. cent. 1. q. 14. n. 5. alias sententias refert & examinat, Petr. Gilken. tr. de impensis part. 5. c. 2. Matth. Berlich. part. 1. concl. 23. n. 5. & seqq. Vide & Ludovic. Gilhausen in arbor. judic. cap. 6. part. 1. f. 98. qui post Bartol. hoc tempus, duorum mensium spatio, circumscribit. Plane, haec apud nos, contra instrumentum querentigiatum opposita, in continenti, i.e. intra sex septimanas & tres dies, probanda est, Matth. Coler. de process. executiv. part. 4. c. 2. n. 19. & quidem, ex solis instrumentis, vel confessione partis, non per testes, Incomparabilis nostri avi JCTus Carpzov. in Const. Elekt. 8. part. 1. def. 14. multo minus super hac, juramentum à reo, actori defteri poterit, Dn. Carpzov. d. loc. def. 15. Reinhard. Rosa ad Moller. part. 1. const. 8. n. 11. unde, nec reus, ad eam ostendendam, petere poterit editionem librorum jactoris, Flam. Chartar. decis. tot. Gen. 93. per tot.

TH. 25. Ut litium multitudo præcaveatur, utq; potius non solvamus, quam solutum repetamus, & ut æqualitas servetur, inter cives, recepta esse compensationē, supr. th. 6. astruximus.

TH. 26. Principalis compensationis effectus est, ut vim solutionis habeat, l. 19. ff. de liber. caus. l. 4. C. b. l. 15. ff. rem rat. haber, non solum jure communi, sed etiam Jure Saxonico, Conf. 8. part. 1. unde statutum de solutione conceptū, & hanc solūm admittens, compensationē non excludit, Flam. Chartar. decis. 77. ubi id, in statuto Genuensi exemplificat: & sicuti solutionē, ita compensationem in graviorem causam, imputati debere, verius est, Steph. Gratian. tom. 2. decis. 224. n. 25. disceptat. forens: & sic usq; ad concurrentem summam compensando, quis plausim liberatur, l. 4. C. b. t. cum simil. in tantum, ut si faci erore solvisset quod compensari poterat, conditione indebiti repetat, l. 10. s. 1. ff. b. l. 30. ff. de condic. indeb. vide Coppel. tr. b. c. 10. n. 5. & pensatione factā, pro pignore, quod actor pro debito habebat, debitor pignoratitiam mouere potest actionē l. 12. C. b. t. Tyndar. art. 10. effect. 11. Non solum etiam, haec libe- ratio

ratio procedit, qvo ad capitale, sed etiam qvo ad usuras, qvo cunq; jure demum illæ debeantur, l. 4. C. b. t. et si debitum ab una parte saltem, & non utrinq; usurarium, l. 11. ff. b. t. l. s. C. eodem. imò, qvo ad qvoscunq; moræ effectus, & accessiones. Coppel. de compens. cap. 8. n. 9. & 10. Reliqua huc pertinentia, desume ex Tyndaro art. 10. tr. b. Sebaß. Medicos. part. 2. q. 31. tr. b.

Th. 27. Sed num reus, opponens exceptionem compensationis, fatetur se debitorem esse? Ita omnino dicendum, cum compensationis verbum ipsum, mutuum debitum præsupponat, l. 1. ff. b. t. & qvia impossibile, relatum absq; correlatu, revera existere: vide Everhard. in loc. leg. loc. a relatu. Non obstat l. 9. ff. de except. aliud enim est intentio actoris, aliud est ipsum factum, ex quo intentio procedit, non fatetur reus sic excipiens intentionem actoris, qvæ est ut condonetur ipse in summam petitam, sed potius negat propter compensationem objectam, licet ipsum factum, se nempe debere, fateatur, ex qvo alias condemnatio ad solvendum, si mutuum debitum non adesset, seqveretur eleg. Ant. Merenda. lib. 3. controversi. jur. cap. 46. ubi plures rationes addit. Author. decision. Rot. Genueni. de Mercatirâ decis. 213. n. 2. Dissent. Andreas Fachinaeus lib. 11. controversi. cap. 6. Aliter resolvit, Donell. ad l. 1. C. de probat. n. 5. Coppel. tr. hic cap. 8. n. 27. & seqq. qvi, tum demum fateri debitum compensare paratum, volunt, si simpliciter exceptionem hanc objiciat, secus si conditionaliter forsitan ita; si debeo, compensare possum; cum conditio nihil ponat in esse, l. 8. ff. si quis omis. caus. testam. qvæ sententia, in praxi haud dubiè tutissima. Adde ad hanc rem, profunda eruditioris & subtilitatis JCTum Georg. Frantzium lib. 2. var. resol. resol. 18. per tot.

Th. 28. Effectum compensatio non sortitur, si intercesserit pactum de non petendo, l. 15. ff. rem tut. hab. vel renuntiatio, l. 29. C. de pact. cum specialiter compensatio respiciat favorem renuntiantis E. pet cap. 39. X. de test. & trad. Rob. Maranthe part. 2. specul. aur. n. 39. Dissentient Matth. de Afflictis decis. 121. n. fin. qvi huic renunciari non posse contendit, eò qvod renuntiatio, esset contra botios mores, cum inæqualitatem inducet. Seraphin. de Seraphin. de privileg. juram privil. 74. n. 35. ed qvod

qvod defensionem in se habeat, cui renuntiari non posse  
qvod idem est si hæc opposita quidem sit, sed à judice rejecta,  
l.7. §.1. ff. b.t. qvod quando dicitur factum, declarat latè,  
Cardinal. Tuschus tom.1. conol. 494. & si quidem tacite, in contra-  
rio judicio super eā agi poterit, ut loquitur Ulpian. in l.8. §.2.  
de negot. gest. Si verò post examinationem, quasi scilicet non  
existente debito, reprobarē fuerint pensationes, ad eas nullus  
datur regreslus, ne novo quidem judicio, obstat enim tunc rei  
judicatæ exceptio. d.l.8. & d. l.7. Vide eleg. ut omnia, hæc per-  
tractantem, & judicem, ut cautus sit, hæc in re si pronunciare  
debeat, admonentem, Magnif. Dn. Carpz. respons. electoral. 4.  
lib.2. & part.1. const. 8. def. 5. Jurispr. Forens.

TH. 29. Non autem recte sentire putamus, Accursium in l.  
fin. verb. convictus C.b. t. & ejus sequacem Sebāst. Medices part.  
2. q. ult. n. 40. afferentes debitorem, qui prius debitum nega-  
vit, & postea de eō convictus est, compensationem opponere  
non posse, tūm qvod nullib[us] hoc in jure expressum sit, tūm  
qvod compensatio maximè favorabilis, tūm etiam qvod hic  
convictus haud dubiè solvere posit, E. & compensare per l.4.  
ff. qui potior. in pignor. cum simil.

TH. 30. Accedunt ad naturam compensationis reconven-  
tio, Sebāst. Medices. part.2. q.1. n.16. de qua videndus Petr. Mo-  
lignatus tr. de eadem. & alii plures. Collatio bonorum, Sebāst.  
Medices. d. tr. p. 1. q. 15. de qua vide tr. Georg. Ad. Brunneri; Vi-  
talis Saporat & aliorū, quos cumulat Brunner. d. tr. in fin. Reten-  
tio, l.23. ff. de conduct. indeb. l. ult. §.s. ff. de jur. delib. & hæc uti quē  
posse, qui non potest compensare, vulgo arbitrantur, Aym.  
Cravetta conf. 128. n.2. Brunnor. à Sole in loc. com. tom. 2. verb.  
retentio. Vide de hac Dn. Bened. Carpz. decis. 66. part.1.

Et hæc de subtilissima, & intricata compensationum materia, quæ sane  
est de apicibus juris, & quam aures in capaces non intelligunt, ut de pun-  
cto quodam, ex ipso desumpto, Angelus, referente Hierony. Marillano de-  
cis. Parmens. 31. n. 7. scriptis, hæc vice dixisse sufficiat, ea quæ desunt, ex  
Authoribus qui tractatibus specialibus, eam illustrarunt ut Tyndaro, Se-  
bastiano Medices, Johanne Borcholto, Leonardo Coppelio, Jacobo Mæ-  
sterio, &c. ut & iis, qui passim hic à nobis, allegati fuerunt, aliisque sup-  
pleri poterunt, DEO autem, Ter. Opt. Max. sit laus, honor, & glo-  
ria, in omnia secula.

F I N I S.

99 A 6924



SH

V8 17



**Farbkarte #13**



Gratiâ

DEI OPTIMI MAXIMI

ET

Inclutæ Facultatis Juridicæ

Consensu

DE

# COMPENSA- TIONE,

Publicè disputabunt

PRÆSES

NICOLAUS CREUSEL,

Phil. & J. U. D.

ET

ADAM-CHRISTOPHORUS JACOBI,

Martisburgensis Jur. Cand.

RESPONDENS

Ad diem 28. Augusti

In Collegio Juris Consultorum.

L I P S I A E,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,

Anno M. D. C. LX.

50.

J. J. Philippi